

non passus fuisset. Quod tamen Fabius æquo tulit animo, atque Minutio equitum Magistro dimidium potestatis gloriosæ communicavit. (vid. alleg. Contze lib. cit. cap. 20. §. 1.) Imo cum Fabius Junior contra Dictatoris L. Papyrii Cursoris mandatum certamen feliciter cum hostibus suscepisset, Dictatorq; eum ad mortem condemnare vellet, Populus restitit, Fabiusq; Senior his eum allocutus est verbis: *Tribunos plebis appello & provoco ad populum; eumq; &c. tibi iudicem fero, qui certe unus plus quam tua Dictatura potest polletqve, videro cessurus ne provocationi sis, cui Rex Romanus Tullus Hostilius cessit.* (evolve Liv. L. 8. cap. 33.) Quibus verbis planum est, Dictatorem neq; Principem, neq; summum fuisse Magistratum, sed curatorem, nec aliud illi tributum fuisse præter curationem belli gerendi, aut seditionis sedandæ, atq; sic porrò. Jam v. qui non habet potestatem supremam, & alium præter Omnipotentem DEUM agnoscit superiorem, illi non competit vera Majestas. Dictator autem superiorem agnoscit Senatum Populumq; Romanum. E. ei non competit Majestas.

X. His ita se habentibus nego universalitatem propositionis Grotianæ: *Quæ facultates eosdem effectus habent, eodem nomine nuncupanda sunt.* Idem enim modus efficiendi etiam adesse debet. Aliàs sequeretur, Josephum quoque fuisse Regem, quia ut antea Rex Pharaon omnia peragebat. Plura vide sis apud Pufendorf. & Bodin. ll. cc.

XI. Progredior nunc ad objectum Majestatis, quod sunt cives ac subditi. Cives aliàs in genere dividuntur in βασιλευς, ὀλιγαρχικὸς, & πολιτικὸς. Primi parent uni summum imperium obtinenti: Secundi Optimatibus: Ultimi in Statu populari vivunt, & per vices parent imperantqve. Not. tamen, has Reip. formas h. l. latè accipi, & à Regno Tyrannidem, ab Oligarchiâ Aristocratiam, & à Politiâ Democratiam includi; aliàs sex civium classes essent constituendæ.

XII. Enimverò Hobbesius de Cive c. 7. §. 1. & seqq. tres tantum Reipublicæ species admittit, Regnum, Aristocratiam & Democratiam. Nec nulla pro eò militat ratio. In Regno enim & Tyrannide unus regnat. Rex & Tyrannus eandem habent potentiam. Accedit, quod Tyrannus veteribus Regis Synonymum fuerit. Successu verò temporis Tyranni vox in pejorem accepta partem fuit. Causa videtur fuisse Aristocratica vel popularis forma regiminis Romæ & in

in